

Foll. 20.454

THESES PHILOSOPHIAE

PUBLICAE CONCERTATIONI

PROPONIT

D. JOSEPHUS GATURNO ET DODERO,

IN ORIOLENSI SEMINARIO

S. MICHAËLIS, ET D. VIRGINIS ILLIBATAE

ALUMNUS.

PATRONO

D. IOHANNE THOMA SEMPERE,

ET GUARINOS,

THEOLOGIAE DOCT. ET IN EODEM SEMINARIO PHILOSOPHIAE

PROFESSORE;

LOCUS CERTAMINIS ERIT

ORIOLENSIS SEMINARII TEMPLUM.

DIE 19. IUNII , ANNO M.DCC.LXXVIII.



Cum licentiis necessariis.

Murciae : In Typographia PHILIPPI TERUEL.

R. 20.454

МАЛЮСОИЕ СКАЗКИ

ПУБЛИКАЦИИ
ПРИЧАСТИЯ

ЧИТАЮЩИЕ

СКАЗКИ ПРИЧАСТИЯ

ОБРАЩЕНИЕ К ЧИТАЮЩИМ

СКАЗКА О БЫСТРОМ СВЯЩЕННИКЕ

СКАЗКА О А

СКАЗКА

СКАЗКА О БЫСТРОМ СВЯЩЕННИКЕ

СКАЗКА О А

ЗАПРОСОМ ОБРАЩЕНИЕ К ЧИТАЮЩИМ

СКАЗКА

СКАЗКА О БЫСТРОМ СВЯЩЕННИКЕ

СКАЗКА О БЫСТРОМ СВЯЩЕННИКЕ

СКАЗКА О БЫСТРОМ СВЯЩЕННИКЕ

СКАЗКА
(
СКАЗКА
СКАЗКА
СКАЗКА


СКАЗКА О БЫСТРОМ СВЯЩЕННИКЕ





S. IOANNES NEPOMUC. M.

Lariz me d. et E. scpt.



D. O. M.

DIVO IOHANNI NEPOMUCENO

DEVOTI ANIMI

PERPETUUM EXSTARE VOLENS MONUM.

D. IOH. JOSEPHUS MATHEOS

CANONICUS MURGENSIS

HUIUS CLIENS

D. IOS. GATURNO ET DODERO


ORIOLENSIS SEMINARII ALUMNUS

PROPOSITIONES PHILOSOPHIAE

PUBLICE ASSERENDAS

D. D.

AN. AER. V. M.D.LXXVIII.



三

окончательно и вновь овда

EDWARD TROYER

МНОГОЕ ВСЕГДА БЫЛО ПОДЧИНЕНО МИРОВОМУ ПОРЯДКУ.

CONTINUATION

בְּנֵי יִשְׂרָאֵל וְבְנֵי יִצְחָק וְבְנֵי אַבְרָהָם וְבְנֵי
אַבְרָהָם וְבְנֵי יִצְחָק וְבְנֵי יִשְׂרָאֵל


CHAPTER XXVII

ANSWER QUESTIONS

RACIAL INEQUALITY IN EDUCATION

卷之三

לְמִזְבֵּחַ תְּמִימָה תְּמִימָה תְּמִימָה תְּמִימָה



PROLEGOMENA.

1.  *Hilosophia est cognitio certa & evidens, usu rationis acquisita , atque ad veram hominis felicitatem comparata.*

2. Varias vicissitudines passa est ab eo tempore, cum homines pro sua quisque opinione pugnare coeperunt.

3. Nos Philosophi cum esse velimus , & haberi, uni veritati litamus. Si enim Philosophia scientia est veritatis contemplatrix , ipsam veritatem tamquam praecipuum scopum , ac ultimum finem sibi propone re debet Philosophus , in eiusque investigationem omne studium , omnem laborem , & operam conferre , ut nihil sibi antiquius , nihil praestantius una veritate esse credat. Hac libertate philosophandi nata fuit olim Philosophia , educata , aucta , & propagata , inquit Jo. Bapt. Monlorius , Peripateticus magni nominis , in praefat. ad quaest. *De Universis.*



L O G I C A.

4. **N**ihil hominibus à Deo concessum est mente & ratione perfectius , nihil ipsi Deo, æternæ menti , & incommutabili rationi similius.
5. Illi excolendae Logica nata est , quam necessariam ad omnes scientias perfectè adipiscendas iudicamus.
6. Logica , quam Organum Aristoteles vocavit; est facultas usu & studio comparata , qua mens ad recte ratiocinandum dirigitur.
7. Materia Logicae sunt res omnes à nobis cognitae ; quod commune habet cum Rhetorica.
8. Forma vero est ens rationis trium mentis operationum directivum.
9. En Sphyngis aenigma , quod delicatuli homines oderunt cane peius & angue. Nec mirum est tam ens rationis aversari illos , quibus tam rationis parum , aut natura , aut malè ab ipsis comparata studia pepererunt.
10. Scientiis , theoreticis , seu speculativis succenturiari debet Logica , qua sine suus honos illis constare verè non poterit.

A

Fin.

11. Finis Logicae est veritatis inventio , & inquisitio. Nec illi vitio verti debet , quod non semper veritas ex voto nostris conatibus cedat. Nam & gubernator , inquit Quintilianus , vult salva navi in portum venire : si tamen tempestate fuerit abreptus , non ideo minus erit gubernator.

12. Logici munus , ut veritatem nanciscatur , est quale describitur à Cicerone , rem universam tribuere in partes , latentem explicare definiendo ; obscuram explanare interpretando ; ambigua primum vide re , deinde distinguere ; postremo habere regulam , qua vera & falsa iudicentur ; & quae quibus positis sint , quaeve non sint consequentia. Verbo , definire , dividere , argumentari Logicae summa est.

13. Omnes hae mentis operationes ad pracepta Logices exactae constant propositionibus , propositiones terminis.

14. Termini sunt mentales , vocales , & scripti. Aliis etiam divisionibus audiet qui volet distributos.

15. Vocabulorum significatio tota est ex hominum voluntate , atque institutione , non ex natura ipsarum.

16. Proprietates terminorum assignantur suppositio , ampliatio , restrictio , alienatio , & appellatio , quae uberem nobis sufficient colloquendi materiam.

17. Termini , quorum maximus usus in scientiis omnibus , sunt illi , qui universalium nomine Schola-

4

sticis fere utramque paginam faciunt , genus , species , differentia , proprium , & accidens.

18. Omnes hi sola mentis opera constant , neque extra mentem consistere possunt.

19. Quidquid rerum est in summa quaedam capita coniiciebant veteres , quae categorias appellabant , & praedicamenta.

20. Decem vulgo numerantur , substantia , quantitas , relatio , qualitas , actio , passio , quando , ubi situs , & habitus.

21. Atque haec omnia ad primam mentis operationem pertinent , quae apprehensio , seu perceptio dicitur.

22. Haec mentis operatio , ut prima est , cuique omnes aliae superstruendae , intenti esse debemus , ne quod in illam vitium irrepatur ; namque in fabrica , si falsa est regula prima , omnia mendose fieri , atque obstipa necesse est , inquit Lucretius.

23. Connitendum ergo , quoad viribus possimus , ut perceptio terminorum sit integra , sit clara , sit distincta.

24. Id ut fiat , avertenda primum sunt vitia , quae illi opponuntur , diminutio , obscuritas , & confusio.

25. Haec , quamquam saepe studium omne superent , minora tamen fient , si primum omnium , animus attentioni , & meditationi occalluerit.

At-

26. Attentionis conciliandae vias ei , quem non totum veritatis amor accenderit , ostendemus.

27. Iuverint etiam vitiis , quae rectam perceptio-
nem terminorum impediunt , avellendis , quae mo-
dorum sciendi nomine veniunt , definitio , divisio,
& ratiocinium.

28. Definitio est Oratio ignoti per notum mani-
festativa.

29. Sit illa clarius definito , non superfluens , aut
diminuta , genere & differentia constet , convertatur
cum eo , cuius definitio habetur.

30. Divisio est Oratio explicans rem per partes.
Suas etiam habet regulas , quas trademus interro-
gati.

31. Divisioni proxima est abstractio , qua mentis
limitationi , quae non potest unico obtutu rerum at-
tributa , proprietates , & relationes percipere , satis
apte consultur.

32. Cum mens binas ideas comparando , unam
de alia affirmat , aut negat , haec operatio iudicium
dicitur , quod ipsum propositione declaratur.

33. Propositio est Oratio enunciativa unius de
alio.

34. Bonas horas consumunt aliqui , qui alias so-
li sapere sibi videntur , in explicandis propositionis
divisionibus , in oppositionibus , aequipollentis , con-
versionibus , cet.

Quae-

36. Quaeris cuinam usui? Omnia fere, inquit Lud. Vives in Ep. ad Jo. Fortem, quae in syllogismis, in oppositionibus, in coniunctionibus, disiunctionibus, explicationibusque enunciationum tractantur, aliud non sunt nisi quaestiones illae divinandi, quas sibi invicem pueri, & mulierculae inter lusus proponunt.

36. Ut ne recte de pluribus iudicemus, faciunt vicia perceptio terminorum, praecipitatio iudicii, praeoccupatio, imaginatio, & sensus.

37. Sex regulae in numerato habendae sunt, ne illis vitiis deridiculos nos aliis faciamus.

38. Si ex comparatione duarum idearum cum tertia mens colligat componendaene sint, an separandae, ratiocinium adest, praestantissima operatio, cui omnes artes & scientiae originem debent, atque incrementum.


39. Is autem est nexus inter omnes ratiocinii propositiones, ut mens, si binis prioribus assentiatur, nequeat tertiae dissentiri.

40. Ratiocinatio tribus proportionibus quadam arte dispositis enunciata syllogismus dicitur.

41. In propositionibus ordine connectendis non mens eadem semper via procedit: nam autē particularium notitia ad generales alias elevatur, autē generalibus ad particulares descendit.

42. Prima analytica , secunda methodus synthetica vocatur.

43. Suas habet unaquaeque regulas , quas roga-
ti declarabimus.



PHYSICA.

44. CUM de Physica agendum est , vellem au-
res litteris , aut si quid praestantius illis,
omnium oculis observaretur Cl. Lud. Vives moni-
tum , quo heic apponere placet , ut & constet Pe-
ripateticis exsertam adhuc remanere bene cogitandi
vim , & ut Peripatetici ipsi caveant nonnulla vitia ,
in quae , saeculi forsan genio abreptos plures esse
constat.

45. In Naturae contemplatione ac ventilatione
primum sit praeceptum , ut quandoquidem scientiam
ex his parare nullam possumus , ne nimium indul-
geamus nobis iis scrutandis & exquirendis , ad quae
non quimus pervenire : sed studia nostra omnia ad
vitae necessitates , ad usum aliquem corporis , aut
animi , ad cultum & incrementa pietatis conferamus:
siquidem intenta & accurata diligentia nihil assequi-
mur aliud , quam (ut Salomon sapienter dicit) af-
flictio-

8

fictionem.... Quapropter illa abiicienda sunt penitus, quae ad curiositatem quamdam solum pertinent, ne illis distentus animus meliora scrutari postmittat, & quae scire munera est veri ac germani Philosophi.

De trad. Discipl. lib. 4.

46. Hoc peccatum, quod tam recentiores, quam Peripatetici peccant, ut vitaremus, summa tantum capita Physicae delibantes, meliores horas rebus utilioribus reservavimus.

47. Corpora naturalia, eorumque affectiones sunt unum Physices obiectum.

48. Multa de principiis corporum, de fine, modo, disque, multaque de formis dicere ludus Cl. Aiae Montano visus est. In Eleg. Votiva ad opus de *Naturae Historia*.

49. Nos, ne temporis in his rebus elapsi, ut illum, aliquando poeniteat, fatemur cum eo, ipsa queis primum sistere gressum conveniat, non esse cernere principia.

50. Tamen, si in re adeo difficulti iudicium nostrum liceat interponere, quamvis ex sola minimarum particularum mutatione, figura, magnitudine oriri certissimum sit infinitam effectuum varietatem; asserere non audemus materiam omnem ita homogeneam, ut ex diverso dumtaxat minimarum partium situ repetenda sit specifica corporum differentia.

Ma-

51. Materiae ergo primae inertis, neque exsistere seipsa potenti addi debet actus aliquis, vis, entelechia, aut, quod Scholastici dicunt, forma substancialis.

52. Si quis nostram sententiam circa minutias, quae hac de re agitari solent, scire desideret, plura dabimus, quam possit ferre vel rogatus Atlas.

53. Motus, praecipuae corporis proprietatis, idea simplicior est, quam ut definitione egeat.

54. Motus omnis localis impetus impressi corpori effectus est; hic vis motricis, quae propria dos est substantiae spiritualis.

55. Gravia feruntur ad centrum impetu ipsis intraneo.

56. Dum de gravitate agendum erit, haec problema resolvemus. 1. Cur in statera minus pondus, si à centro, seu fulcro staterae abducatur, maius pondus attollit. 2. Cur metallum, licet aqua gravius, si ducatur in tenuissimas lamellas, aut acus, non mergatur? 3. Cur lignum, licet aqua levius, & tamen aliqua sui parte immergatur?

57. Elasticitatis caussa adhucdum ignota est: ad primas leges naturae haud irrecte retuleris.

58. Magnetis naturam cum explicare adnisi sunt philosophi, novis se difficultatibus implicarunt, ut occultam esse, ambitu licet, magnoque verborum

apparatu , omnes fateantur.

59. Projectorum motus caussa est pressio caussae, quae ipsum ad motum determinat.

60. Pendulorum motus provenit à vi motrice in descensu ad perpendiculum accelerata.

61. Iniucundum non erit horum problematum circa pendula rationem reddere. 1. Cur , quo pendulum è longiori filo pendet , eò plures edat vibrationes ? 2. Cur in machina pneumatica exhausto crassiori aëre pendula diutius suas continuant vibrationes ? 3. Cur eiusdem penduli vibrationes , licet aliae aliis maiores , aequali fere tempore fiant ? 4. Cur , ut pendula , ita & pleraque alia corpora vibrationes illas edant ?

62. Motus corporum in descensu acceleratur secundum proportionem numerorum imparium , 1. 3. 5. 7. cet.

63. Sex motus , & impetus leges declarabimus perfuntorie , & , quod dici solet , ut canis Nilum , cum nec temporis , neque auctorum copia nobis suppetierit , ut pro dignitate rem Physicae iucundissimam & utilissimam tractaremus.

64. Omnis motus in loco aliquo peragi debet. Est autem locus superficies prima , immobilis corporis ambientis.

65. Duo corpora eundem locum occupare possunt

sunt, Deo ultra naturae vires operante : at neque hoc modo idem corpus binis locis praesens adesse potest.

66. Vacuum, utut omnes ingenii vires intenderint recentiores, persuadere ad hunc diem non potuerunt.

67. Nulla caussa effectum ultra quam eius virium limites ferant, producere potis est.

68. Mundus est compages ex caelo, terraque, cet.

69. Unicus est mundus, perfectus, ab hinc quinque aut sex saeculorum millibus à Deo productus.

70. Totam coelorum molem attento animo conspiciensi apparet moveri duobus innixam punctis, quae poli arcticus & antarcticus appellantur.

71. In hoc motu caelorum certae leges observantur, quas omnes astronomi satis apte in sphæra repraesentant.

72. Constat haec decem circulis, aequatore, meridiano, zodiaco, horizonte, binis colluris, tropicis cancri, & capricorni, & duobus polaribus: sex priores magni sunt, quippe qui sphæram in duas partes aequales dividunt, reliqui minores habentur.

73. Sunt etiam in sphæra zonae, sunt climata, est & varia ipsiusmet sphærae positio, quorum omnium varios in Geographia usus commonstrabimus.

74. Ut de coelestibus corporibus quidquam dicamus, primum, si de re à nobis remotissima iudicandum, eorum substantiam fluidissimam esse concicimus, iisdemque affectionibus obnoxiam, quibus quae proximè nos sunt.

75. Astra nec omnia in corporibus nostris faciunt, nec omnino nihil, & quae efficiunt nec sciuntur omnia, nec nihil, etsi pauca admodum, & maligne, inquit doctissime Lud. Vives.

76. Immane quantum omni aevo insudarint astronomi in legibus constituendis, quibus corporum caelestium motus peraguntur: ut res haec magni momenti sit, innumera instrumenta sumptibus regiis inventa sunt, peregrinationes institutae, hypotheses excogitatae, quarum quae celebriores habentur sunt Ptolemaica, Tychonica, & Copernicana.

77. Qua ratione in unoquoque ex his systematisbus explicentur phaenomena coelestia, referemus.

78. Quidquid rerum est quatuor constat elementis, terra, aqua, igne & aëre.

79. Aqua constat particulis globosis, non elasticis, continuo motu agitatis.

80. Ex aqua pluvia maior pars fontium & fluminum scaturit, quod qua ratione fiat, explicabimus.

81. Conglaciacionis caussa non tam est frigus, quam

quam affluxus particularum salis , nitri , cet.

82. Ignis natura ignota hucusque fuit : Teius tamen primariae proprietates sunt lucere , & calefacere.

83. Ab hac provenit extensio partium , quae non solum obtinetur in fluidis ope ignis , sed & in solidissimis quibuscumque corporibus.

84. Motus intestinus & vorticosis minimarum partium aut ignis caussa est , aut illum semper comitatur.

85. Aër corpus est fluidum , invisible , intactile , pellucidum , elasticum , sonorum . Qui terram circumquaque cingit , atmosphaera vocatur.

86. Non ab aqua in vaporem , aut ab igne in exhalationem converso producitur aër ; sed uti alia elementa , corpus est sui generis.

87. Pressioni aëris attribui debet suspensio mercurii in tubis torricellianis , & aquae in antliis aspirantibus.

88. Ab elasticitate aëris effectus oriuntur , qui pene fidem superant , in scopletis pneumaticis , in terrae motibus , cet.

89. Terra considerari potest ut elementum , & ut unum ex illis magnis corporibus , quae mundum universum constituunt.

90. Elementum terrae est corpus omnium ele-
men-

mentorum gravissimum , durum , & siccum .

91. Tota moles taerrae variis interius distincta est mineris , foveis , lacubus , fodinis , milleque maeandris , quae omnia plurium fossilium , & metallorum sunt officinae .

92. Fossilia ad tres classes commode reducuntur : nam aut sunt Lapidés , aut Metalla , aut quae commune Fossilium nomen vulgo retinent .

93. Horum omnium materia est terra ex qua cum aqua actione ignium subterraneorum commixta , succus quidam excrescit , qui & ipse in varias formas abit , ut est varia regionum temperies .

94. Phaenomenon saepe observatur in terra hominibus semper timendum , nonnumquam exitiale , dum ignibus subterraneis aërem concitantibus , mollem hic incumbentem , aut tremere , aut concutiri , aut etiam nutare facit .

95. Vapores & exhalationes in sublime delatae materiam praebent meteoris , quae & nosse oportet , ne iustum magni Vivis censuram in sui temporis philosophos incurramus .

96. Ex his vaporibus , & exhalationibus omnia meteora formantur , quae in atmosphaera conspicis solent , sive aquea sint , sive ignea , aut etiam aërea .

97. Aquea meteora praecipua sunt Nebula , Ros ,
Pla-

Pluvia , Pruina , Nix , Grando , Halo , Paraselene,
Iris , cet. 15

98. Ignea sunt Fulgur , Fulmen , Tonitru , Stellae cadentes , Ignes lambentes , Aurora borealis , alia , quorum omnium genesim , & usum naturae in illis referemus .

99. Aërea sunt venti , hominibus utilissimi , dum atmosphaeram impuris exhalationibus defoecant , & navigationem iuvant , si non ex illis sint , qui Typhonis , Ecneephiae , & Praesteris nominibus totam naturam subvertere velle videntur .

100. Iam corpora sublimioris ordinis contemplemur , viventia , quae in tres , uti solitum , classes tribuimus , vegetativum , sensitivum , & rationale .

101. Irrito conatu sese torquent qui ad solas mechanicae leges exigere tentant omnes viventium motus , & effectiones : anima praestant , quae legibus proprius propria & ipsis effecta moderatur .

102. Quod quinque sint actionum species in anima praecipuae , quinque etiam in illa potentiae distinguunt solent , vegetativa , sensitiva , intellectiva , appetitiva , & locomotiva .

103. Qua autem ratione anima omnes has potentias exserat , si non exactam , illam tamen notitiam dabimus , quam ignorare Physicus nullus debet .

104. Quae solo primo vitae genere vigent plan-
tae

tae nominantur , quarum cognitio nobis utilissima est , quippe quibus ornatum , victum , voluptatem , medicamina , aedes , vestem maiori ex parte debeamus .

105. Plantis animata bruta praestant , partium structura , & harum ipsarum usu .

106. Elapso proximo saeculo anima brutis penitus cum Cartesio denegabatur : nostro , quod aureum vocant plerique , at verius *similaureum* Caraccioli anima spirituali magno argumentorum apparatu tribuitur .

107. Nobis placet prae aliis vulgata Peripateticorum opinio ; cum quibus tuemur bruta modo perfectiore quam caetera animata propter finem agere , non tamen , quod aiunt , directive .

108. Propria operatio animae sensitivae est , à qua nomen dicit , sensatio .

109. Huius quinque sunt genera , uni sensuum unumquodque accommodatum . De omnibus harum rerum cupido rationem reddemus .

110. Sensus externos excipiunt interni , sensus communis , phantasia , & memoria .

METAPHYSICA.

III. **T**Res Metaphysicae partes constituimus, quae
rum unaquaque alias sub se continet,
Ontologiam, Cosmosophiam, & Theosophiam.

112. Ontologia est ea Metaphysicae pars, quae
de prima entis notione agit, & prima principia fir-
mat, primasque rationes, quibus veritas principio-
rum in aliis scientiis magna ex parte nititur.

113. Namque, ut hinc sumamus exordium, prin-
cipia constituenda sunt prima nostrae cognitionis, ad
quae, tamquam ad lydium lapidem exigere liceat ve-
ritatem aliorum, quae non magno interdum exami-
ne ut talia constituuntur.

114. Primum nostrae cognitionis principium est,
Impossible est idem simul esse, & non esse.

115. Ens dicitur possibile primario ex non re-
pugnantia ad existendum, secundario ex omnipo-
tentia divina.

116. Ens quocumque, sed maximè compositum
ex potentia & actu non male Scholastici constitutum
volunt.

117. Actus & potentia variis ab ipsis partitioni-

bus distribuuntur , quas nostrum erit declarare.

118. Inest rebus creatis potentia obedientialis , qua intrinsecus à suprema caussa roboratae , effectus inassuetos , & ipsarum naturam excedentes , tum excipere , tum etiam producere possint.

119. Ad effectus producendos illis proportionales , non solum caussae occasionales sunt , sed vim ipsis congenitam habent.

120. Entia creata non uno modo semper caussae sunt , nam videoas quasdam efficientes exsistere , alias finales , materiales , formales .

121. Principium activum , seu vires , quibus causae creatae operantur , dicuntur Natura , cuius definitio aristotelea , si aliqua lux ei afferatur , sarta testa servari potest , quod idem de violentia dictum putato.

122. Affectiones , quas Deus O. M. tota sua viagens imprimit rebus naturalibus , non sunt violentiae , sed maxime naturales.

123. Quantum ars naturam possit imitari vel ex solis Vocansonii automatis satis dignosci potest.

124. Sunt tamen effectus , quos ars numquam eo adducetur ut faciat : & in his credimus locum habere fulvum illud metallum , cuius sacra fames tantum cogit mortalia pectora .

125. Toti Naturae finis constitutus est ab eius auctore

ctore Deo , in quem illa compositis gradibus continuo tendat.

126. Anima pollere hominem purioris à corpore naturae , & materiae penitus experti , nisi qui fungum habeat pro cerebro , negare potest omnino nullus.

127. Fremant licet Libertini , anima rationalis , ipsorum malo , aeternum est duratura.

Exstare Angelos , spiritus nobilioris naturae quam sit anima rationalis , tam certum est , quām quod certissimum .

128. Nulla gens adeo scelestā , tam moribus fuit usquam efferata , cui non supremum aliquod Numen constantissime affulserit. Quid si nonnulli , pauci equidem , iidemque ignobiles , Deum esse negaverint , id eo consilio factum ab illis arbitramur , quo lepide de alio dixerat Martialis:

Nulos esse Deos , inane coelum


Affirmat Sellius , probatque quod se

Factum dum negat hoc , videt beatum.

129. Hanc veritatem , quae naturae ipsius vox esse videtur , omni argumentorum genere demonstrabimus , quinque praecipue , quae dexterime tractavit S. Thomas.

130. Unicus est Deus , infinitus , immutabilis , aeternus , liber , summe bonus , omnipotens , in-

mensus: & cum talia sint Dei attributa, *facilius* tamen, inquit S. Augustinus, *dicimus quid non sit, quam quid sit.*



E T H I C A.

Ethica, seu Hominis studio nullum est à veteribus magis exultum, nullumque quod à nobis maiorem postulet diligentiam. Quamobrem illi diuturniorem operam impendimus, impensa longiusculum specimen exhibemus.

c. 131. Stupidis belluis adnumerandos iudicamus illos, qui nullum finem ultimum homini praestitutum esse contendunt.

132. In voluptatibus, in divitiis, fama, honoribus, potestate homines molles, & voluptuosi, ut erat quisque in eorum singulo proclivis, felicitatem voluerunt constitutam.

133. Ex his, qui summam hominis felicitatem in bonis animi constituerunt, nulli rectius sentire visi sunt quam Stoici, qui in sola virtute reponebant: sed ne his calculus est adiiciendus.

Ma-

134. Maneat ergo altius erigendam mēntem nostram esse , beatitatemque in solo D. O. M. omnium bonorum meta fineque esse reponendam.
135. Quamquam à solo Deo sit summa felicitas repetenda , non est tamen quoad in hac vita degimus speranda.
136. Atqui scire debemus Deum sua maxima bonitate & beatos nos esse velle , & ut simus illum inuare.
137. Immò & in hac vita tam arcte Deo adhaerere possumus , ut nullum nos desiderium teneat earum rerum , quas homines insane concupire solent.
138. Felicitas *formalis* naturalis primario constat ex contemplatione Dei perfectissima , quae intra naturae ordinem haberi possit.
139. Summi boni possessio nulli unquam continget , nisi voluntatis actus ad rectae rationis amussim composuerit.
140. Actus voluntarius est , *cuius principium est ab intrinseco cum cognitione finis*. Varias eius partiones referemus.
141. Violentia , si ineluctabilis illa sit , penitus perimit voluntarii rationem.
142. Actio à voluntate metu extorta , voluntaria *simpliciter* censenda est , involuntaria ex parte.

Con-

143. Concupiscentia non destruit, sed potius ac-
tum facit voluntarium.

144. Ignorantia antecedens voluntarium penitus
tollit, consequens perficit, concomitans reddit tantum
non voluntarium.

145. Actus voluntarii origo est libertas, quam
apte definivit S. Thomas *in electivam mediorum, ser-*
vato ordine finis.

146. Radicem libertatis ex eodem Ang. Praece-
ptore declarabimus.

147. Indifferentia pertinet ad essentiam libertatis:
sed quaenam? obiectiva solum, & contradictionis.

148. Hac libertate praeditum esse hominem iis ar-
gumentis conficiemus, quae ad Philosophum perti-
nent, ne quis in nos illud regerat, ne sutor ultra
crepidas.

149. Quamquam libertate donatum hominem es-
se constet, id tamen certum non omnes hominis
actus, esse liberos, nec humanos.

150. Ille solus actus dicitur humanus, qui à vo-
luntate deliberante, praevio rationis ductu proce-
dit.

151. Miram actuum humanorum harmoniam, à
prima boni apprehensione usque ad ultimam frui-
tionem, declarabimus ex sententia Thomistarum.

152. Hic solus actus, de quo loquimur, regu-
lis

lis morum subiacet , non naturalis.

153. Moralitas nihil ponit in actu humano , nisi ordinem transcendentalem ad regulas morum.

154. Haec moralitas adaequate dividitur in bonitatem & malitiam.

155. Nullus actus esse potest in homine deliberate agente , qui non aliqua moralitatis specie afficiatur ; nam aut bonus erit , aut malus.

156. Morum aliqua regula constitui debet, ad quam illi exigi possint , & vero debeant.

157. Prima totius moralitatis origo est lex aeterna , ratio nempe , ut inquit S. Thomas , *divinae Sapientiae omnia in finem debitum ordinantis.*

158. Huius participatio quaedam est Lex Naturalis , seu lumen naturale practicum à divino derivatum , quo honestum à turpi discernitur.

159. Hanc legem credimus cum S. Thoma vel sola ratione naturali demonstrari posse.

160. Homines saepissime affectibus indulgent , quos nosse oportet Philosophum , ut possit illos compensare , atque in gradum revocare.

161. Audiendi non sunt hac in parte Stoici , qui omnes affectus stirpitus eradicandos esse censuerunt , qui que se , ut inquit Cl. Vives , quos natura homines condiderat , scholasticis cavillationibus saxa voluerunt reddere.

Ad-

162. Adfectus nomine venit S. Thomae motus appetitiae virtutis sensibilis ex imaginatione boni vel mali.

163. Bonum aut nude spectari potest , aut difficultatibus circumventum.

164. Circa primam boni speciem sex affectus vulgo numerantur , amor & odium , desiderium & fuga , gaudium & dolor.

165. Ad aliam boni speciem pertinent spes , desperatio , audacia , metus , & ira.

166. Atque amor , maxime sui , veluti omnium aliorum affectuum elaterium haberi potest.

167. Est autem amor , ex S. Thoma , in animi recessibus perlustrandis omnium oculatissimo , complacentia boni.

168. Amoris causa primaria est bonitas , inde pulchritudo , tum similitudo.

169. Maxima sunt amoris , profundissima , reconditissima , & incomprehensibilia mysteria : hi praecipui effectus recensentur , unio , adhaesio , ecstasis , zelus , laesio amantis , universalis quidam influxus in omnia quae geruntur ab amante , liquefactio , fructio , languor , & fervor.

170. Odium , quod mirere , ad amore , quicum intestinum bellum gerit , plerumque dimanat.

171. Desiderium , quod à pluribus cupiditas , con-

concupiscentia , & libido dicitur , est ille animi motus , quo in bonum absens propendenius.

172. Aliud naturale est Desiderium , quod expletur simul ac bono concupito unitur animus , aliud non naturale , quod instar Sysiphei saxi animum continuo exercet , & excruciat.

173. Tristitia est animi aegritudo ex opinione praesentis mali.

174. Leminentum tristitiae parabimus delectatione , quam excitare licebit amicorum consuetudine, litteris , aliis moderatis corporis animique oblectamentis.

175. Ex affectionibus , quibus animus fertur in bonum arduum , primas tenet partes spes , quae ut alit hominum quodcumque genus , ita opposita desperatio deprimit , conficit , deiicitque.

176. Audacia consurgit animus ad malum terrificum amoliendum.

177. Audaciae caussa praecipua est spes , & quemcumque spem fovere possunt illicia. Sed nihil in hanc rem fortius , quam divinae opis confidentia: hac milites praecipites ruunt ad arma , hac rerum discrimina nullus recusat , huic uni debentur quemcumque egregia facinora per homines gesta memrorantur.

178. Ira Aristoteli est appetitus ultionis apertae, cum fervore sanguinis circa cor. Atque de affectibus satis.

179. Virtus unica nostrae compositura decus vitae, est animi facilitas in bonum, vel si mavis, bona qualitas mentis, qua recte vivitur, & nemo male utitur.

180. In hunc modum est constituta virtus, ut nec à summo discedat, nec in imum vergat, mediocritatem amat.

181. Vitia proxime virtutem sunt; & ita hanc illa saepe mentiuntur, ut stannum argentum, orichalcum aurum.

182. Ad vitia non unica caussa propellimur omnes: sed & insita nobis sunt virtutum semina, quibus ab illis tuti, si quidem serio velimus, esse possumus.

183. Inter virtutes quatuor primariae, & veluti aliarum cardines constitui solent, Prudentia, Iustitia, Fortitudo, & Temperantia.

184. Prudentia adeo primum locum inter virtutes tenet, ut dixerit Socrates virtutes omnes velut prudentiae partes haberi posse, & *prudentias* illas quadamtenus appellari.

185. Cicero, qui tam à prudentia, & in negotiis bene gerendis dexteritate, quam ab eloquentia celebratur, prudentiam definit *rerum expetendarum scientiam*.

186. Sunt partes prudentiae Ratio, Intellectus, Circumspectio, Providentia, Docilitas, Cautio, Memo-

²⁷
moria , quam *prudentiae matrem* vocat Agellius , & Solertia , seu Eustochia.

187. Tria munera , seu partes potentiales satis apte in prudentia numerantur , Eubulia , Synesis , & Gnome.

188. Sunt vitia , quibus in Prudentiam peccari potest , ignorantia , praecipitatio , inconsideratio , inconstantia , & negligentia.

189. Immo paradoxon fortasse videbitur , inquit Cl. Muratorius , si quis dicat hominem esse posse nimis prudentem ; quod tamen experientia commonstrat.

190. Iustitia est constans & perpetua voluntas ius suum unicuique tribuendi.

191. Partes iustitiae sunt declinare à malo , & facere bonum.

192. Iustitia dividitur in commutativam , distributivam , & legalem , cuius est etiam pars epiikia.

193. Iudex in litibus finiendis , ferendaque sententia probationum potius , quam proprii iudicii rationem inire debet.

194. Stipatur Iustitia his virtutibus , Religione , Pietate , Observantia , Veracitate , Grato animo , Iustitia vindicativa , Liberalitate , Amicitia.

195. Temperantia , ex M. Tullii sententia , est rationis in libidinem , atque in alios non rectos impetus animi firma , & moderata dominatio.

196. Temperantiae partes habentur Verecundia , &

Ho-

Honestas ; Abstinentia , Sobrietas , Castitas , & Pudicitia ; Continentia , Mansuetudo , & Modestia.

197. Fortitudo est considerata periculorum susceptio , & laborum perpessio.

198. Huius duo actus assignantur praecipui , aggredi , & sustinere. Primus splendidior : at alter , ut difficilior , ita praestantior est.

199. Fortitudinis quasi partes sunt Magnanimitas , Magnificentia , Patientia , & Perseverantia.

200. Magnanimitatis characteres describemus , ex quibus simul constabit non esse inter magnanimos connumerandos , quos barbarus mos pervasit manus sibimet , & necem conciscendi. Sed haec plusquam satis pro saeculi genio. Jam vero si his chartis illum usum decernas , quem Martialis , ne suis continget verebatur , nihil movebor. Imò ne si illum , cuius memoria Em. Martinum eo adegit ut suas , meliori fato dignas , flammis adigeret : eumdem me aliarum huiusmodi fecisse memini.

Vt. Dr. D. Raimundus Albornoz.

Vic. Gen.

Vt. D. Iosephus Emanuel Balaguer,

Cens. Reg.

*Dr. D. Salvator Puche,
Stud.Reg. & Rect.*